



Vehusphabiden un scripta later in gub. Willigstend' rerb. Gregor. P. 17. p. 146.

Zsch

A III 5

a

1-10



Munus legale quod Societati Latine
exhibuit M. Tobias Eckhardus
xv Cal. Decembr. A. O. R. M. D. C. C. X. X. V. I.
H. C. a Strombeck. Soci. - ut.
Secretarius. I.

A. III. 5



9

DE
NOMINIBVS SCHOLA-
RVM LATINIS
BREVITER DISSEREBAT,

CVM AD
DECLAMATIONES QVASDAM
D. XXV. SEPTEMBR. CIO DCC XXXII.
AB HORA I. POST MERIDIEM

IN
AVDITORIO MAIORI
HABENDAS
PATRONOS ATQUE FAVTORES
LITERARVM REVERENTER HVMA-
NITERQUE

INVITARET
M. TOBIAS ECKHARDVS,
ILL. QUEDL. R.

9

BLANCOBVRGI
LITERIS STRUVIANIS.



ENarrauimus scholarum nomina, quae apud Ebraeos Aegyptios & Graecos habuerunt olim; superest, vt de Latinis etiam nonnihil differamus. Initium faciemus a nomine *Ludus*, quae propria Romanorum suppellex est; cetera, vt a Graecis literarum studia, sic scholarum quoque nomina acceperunt, suaeque donarunt ciuitate. Vel ipsum *ludi* nomen ex re palaestra, sicuti Graecorum *γυμνάσιον*, repetitum est. Etenim Lydi Hetruriae, in quam Tyrrenus coloniam duxit, spectacula inuenerunt, vnde Romani ea acceperunt, primumque *lydos*, post mutata litera *ludos* appellarunt, quod Tertullianus (a) & Hesychius, (b) & ex iis Vossius (c) & Becmannus (d) prodiderunt. Atque hinc in multitudinis numero apud scriptores *ludi* nil aliud significant, quam celebritates publicas, quae vel religionis, vel populi oblectandi causa fiebant. Celebratissimi erant ludi Graecorum Olympici, Pythii, Nemei atque Isthmici; Romanorum vero tum in vrbe, tum in prouinciis longe plures variique erant, quos Scaliger alique exposuerunt, (e) In vnitatis numero *ludus* dicebatur, in quo iuuenes ad vsum armorum exercebantur. Talis erat *ludus* gladiatorius, cuius Suetonius meminit in Iulio & Domitiano. (f) Et cum edixit Vitellius Imp. ne equites Romani *ludo* & *arena* polluerentur, (g) gladiatorius ludus intelligitur. Ei praererat *lanista*, qui honestiore verbo etiam *doctor* vel *magister* fuit appellatus. (h) Atque id genus longe

a) De spectac. c. 5. p. m. 139. b) in Lex. v. *ludos*. c) Etymolog. h. v. d) De Orig. L. L. h. v. e) Poetics L. I. c. 22 p. 222. f. add. Anton. Thyfus Antiqu. Rom. f) Ibi c. 31. hic c. 17. g) apud Tacit. Histor. L. II. c. 62. h) Thyfus loc. cit. p. 229. f.

longe antiquius est, & cum ipsa republica coepit; postea ad locum, vbi ingenia / exercentur formanturque translata vox est. Cicero scribit, quod e *ludo* Istoratis, tanquam ex equo Troiano innumeri prodierint principes. (i) Alibi ait, quod vti Dionysius Corinthi *ludum* aperuit; sic ipse *ludum* quasi coeperit, (k) cum declamando exercuit Hirrium & Panfam, eos. quos *discipulos & grandes praetextatos* appellat. (l) Eodem sensu apud Suetonium aliquoties legitur. (m) Singulare est, cum Cicero scribit, se filium duxisse in *ludum discendi*, scilicet in Tusculanum, *non lusonis*, (n) ne ludis interesset, qui eodem die committebantur, vbi vtraque notio comprehenditur. Dicitur *ludus literarius*, apud Tacitum, (o) & *ludus docendi*, apud Suetonium. (p) Idem mox eodem sensu ait, quod Rhetor, C. Alb. Silus *auditoria* instituit. (q) Venio nunc ad nomina scholarum, quae a Graecis accepere Romani, quorum facile primum *schola* est. Cicero Platonis, Epicuri & Stoicam passim commemorat scholas, quae suis distinctisque nominibus apud Graecos vocabantur, & alibi iam a nobis sunt expositae. Suetonius scribit, fuisse tempora, quibus *super viginti celebres scholae* fuerint in vrbe; & M. Gniphonis *scholam* frequentasse M. Ciceronem, etiam cum praetura fungeretur. (r) Eumenius, in aula Constantii sacrae memoriae magister, a praefide prouinciae Lugdunensis petit, vt *scholae Maenianae*, quondam studiorum frequentia celebres & illustres, reparentur, cum ad eas regendas rediisset stipendio inuidendo. (s) Alterum, quod a Graecis acceperunt nomen est, *Gymnasium*, are palaebrica ad literarum sapientiaeque studia tractum. Accommodatus

a 2

(i) De Oratore L. II. §. 94. k) L. IX. ep. fam. 18. l) Sueton. de clar. Rhetor. c. I. m) De cl. Rhet. c. I. 4. de Grammat. c. 4. n) ep. IV. ad Quintum fratrem. o) Annal. III. 66. p) De clar. Rhetor. c. 4. q) loc. cit. c. 6. r) De clar. Grammat. c. 3. s) Panegy. III. ed. Cellarii p. 59. 70.

datus est Ciceronis locus, vbi vtraque occurrit notio. *Se-*
culis multis ante, inquit, gymnasia inuenta sunt, quam iu-
bis philosophi garrere coeperunt; & hoc ipso tempore, cum
omnia gymnasia philosophi teneant. (t) Scaliger nomen id-
 minus conuenire literariis ludis existimat, eo quod nusquam
 minus, quam in tam sanctis sodalitatibus, nudos agere con-
 ueniat. (u) Sed quidni loci nomen exercitationibus
 corporis destinati, ad animi exercitationes transferatur?
 Neque rarum est, vt nomen retineatur, etsi res, vel mo-
 dus rei cesset, quod vel *nubendi* verbum confirmat. *Lycei* no-
 men quod Aristotelis scholae proprium fuit, a Cicerone, qui
 princeps Graecorum philosophiam Latinae est interpretatus,
 pariter receptum fuit. Sic enim ille: *cum ambulandi causa*
in Lyceum, venissemus; id enim superior gymnasio nomen
est. Iterum: exhibibliotheca, quae in Lyceo est, assedimus. (*) Ex
 Graecorum penu promanauit nomen *Athenaei*. Locum
 fuisse Athenis, Mineruae dicatum, vbi sapientes conuen-
 erint homines, ac literarum doctores, doctrinaeque praecep-
 ta dederint, traditum legimus. (x) Dubitari posuit, num
 Athenis fuerit eiusmodi *Athenaeum*. Certe Pausanias in At-
 ticis nullam Athenaei facit mentionem, qui minima tamen
 quaeque persequitur. Templum Mineruae, *ἀθηνῶν ἱερὸν*, quod
ἀθηνῶν significare ait Suidas, commemorat, de sapientum
 conuentu autem nihil neque Pausanias, neque Suidas addit.
 (y) Cicero, qui reliqua scholarum Graeca nomina sua fecit,
 de athenaeo nullam facit mentionem, neque instituit
 aliquod in suo Tusculano. Middendorpius, vbi de Gymna-
 siis, quae fuerunt Athenis, agit, & praeter laudata specia-
 tim quaedam enumerat, & celeberrimus I. A. Fabricius, so-
 lertissimus Graecarum antiquitatum inuestigator, de eo
 prorsus

t) De oratore L. II. c. 21. u) Poetices L. I. p. 92. *) de diuinat. L. I. §. 8.
 L. II. 9. 8. x) Fnbri Lexic. h. v. y) L. I. c. 20. 27. Suidas h. v. z) De aca-
 demis vniuers. orbis L. III. p. 156. Biblioth. Antiquar. c. 21. §. 3. 4. p. 603 f.

prorsus tacent. (z) Cooptarunt tamen id nominis postea Romani. De Hadriano Imperatore Aurelius Victor scribit: *Gymnasia doctoresque curare occoeperit, adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod athenaeum vocant, constitueret.* (a) Dixerim ego, Hadrianum & conditorem istius ludi, & auctorem nominis fuisse, qui singulari studio Athenas profectus ibique gymnasium splendidissimum, quod bibliothecam habuit adiunctam, condidit, eoque nomine statuas complures, & admirandi operis colossus meruit; (b) qui villae etiam Tiburtinae nomina attica, Lyceum, Academia, Prytaneum inscripsit, ut memorat Spartianus. (c) Qui athenaei Romani, quod in Capitolio fuisse exstructum cl. Bertramus ait, (*) faciunt mentionem, Capitolinus de Pertinace, Lampridius de Alexandro Severo, & Sidonius in epistolis Hadriano sunt iuniores. Volaterranus Claudium Imp. Romae instituisse athenaeum scribit; (d) sed tacet de eo Suetonius, & fortasse *Claudium*, quod Alexandriae instituit, Romae quaesivit, & falso nomine compellavit. Succedat nomen *Academiae*, quod scholae Platonis primum fuit proprium, postea tamen perduravit, etsi genus philosophiae in ea traditum fuerit mutatum. Frequens apud Ciceronem huius Academiae fit mentio; ipse etiam Cicero villam quandam suam Academiae nomine insigniuit, unde eius Academiae quaestiones nomen inuenerunt. *Cum ante meridiem dictioni operam dedissemus - - post meridiem in academiam descendimus*, scribit in Tusculanis quaestionibus. (e) Plinius digna, inquit, memoratu villa est, - - *celebrata porricu & nemore, quam & vocabat M. Cicero academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis.*

2-3

Addit

a) c. XIV. b) Pausan. L. I. c. 18. c) in Vita p. m. *) Historia der Gelehrtheit orat. add. p. 21. d) apud Middendorpium loc. cit. p. 411. e) L. II. § 9. Conringius supplem. antiqu. Acad. p. 198. f) L. XXXI. Hist. Nat. c. I. conf. Syn. Vallambertus in Vita Ciceronis filii p. 65.

Addit Plinius, quod non multo post obitum Ciceronis eru-
 perint ibi *fontes calidi perquam salubres oculis.* (f) Graeca
 haec scholarum nomina inter Romanos gentesque, ad eo-
 rum instituta compositas, cessarunt, postquam literarum
 studia desierunt, barbariesque in orbem incubuit, *scholae*
 nomine excepto. Rarae quidem scholae fuerunt; a Carolo
 M. aetate tamen id egerunt & Imperatores & Episcopi, vt
 in monasteriis passim conderentur, quas commemorat &
 recenset Io. Launoius in libello *de scholis celebribus a Carolo*
M. & post Carolum M. instauratis. (g) Vnum do locum Ek-
 kehardi iunioris Monachi S. Galli, qui *scholam clausuri*, quae
 etiam *interior* dicta, pro pueris & adolescentibus monachi-
 ci habitus, & *canonicam*, quae *exterior* dicta, pro Canoni-
 cis & aliis, qui ad pietatem & prudentiam ciuilem forma-
 bantur, commemorat, quibus Ekkehardus minor praefuit,
 posteaque Ottonis II. studia formauit, Palatinus Ottonis M.
 (h) Cum renasci inciperent literae, bonarumque mentium
 officinae constituerentur, *Vniuersitatis*, cuius nominis rati-
 onem dat Middendorpius, (i) *studii vniuersalis*, *studii gene-*
ralis inualuerunt nomina. Occurrunt istae appellationes in
 Maximiliani I. & II. Imp. priuilegiis, quae ille Academiae
 Wittebergensi, hic Iuliae concessit. (k) Occurrit etiam *vni-*
uersitas studii Pragensis, *studii generalis VVittebergensis.* (l)
 Gymnasii etiam nomen reductum fuit, vt ex Maximiliani I.
 priuilegio licet cognoscamus. Academiae compellatio
 non statim cum studiis literarum renata est, nec menti-
 um illustrioribus officinis tributa. Sub Paulo II. Romano
 Pontifice, sodalitas Romae fuit *abbreviatorum*, quam ille
 exau-

§) qui recusus est cura Cel. Fabricii Hamb. 1717 8. add. Conringius loc. cit.
 p. 294. h) de casibus monasterii S. Gallie. I. 10. add Not. Goldasti p. 109. Herti-
 us Notit. vet. Francor. regni c. III. v. 34 p. 94. i) loc. cit. L. I. p. 3. k) Suetius
 de Acad. Witteb. n. 1. Coaring. l. c. p. 385. f. l) Cl. Schelhorn Amoen. literar. To. VIII.
 p. 525. Suetius l. c. m) Platina in Vita Pauli II. p. m. 766. Conring. l. c. p. 200.

exau^oorauit, vti refert Platina, qui ipse in ea fuit & squa-
 lidos carceres propterea tormentaue pertulit. (m) Aca-
 demiae nomen vsurpasse ea videtur. Cum enim eius cau-
 sa disceptaretur, *inclamat*, inquit, *tum M. Barbus S. Mar-*
ci Cardinalis, nos non Academicos esse, sed foedatores
Academiae. Quid turpitudinis autem a nobis in Acade-
miam prodierit, certe non video. Mox: *Paulus tamen*
haereticos eos pronunciauit, qui nomen Academiae vel se-
rio, vel ioco deinceps commemorarent. (n) Mansit po-
 stea Academiae nomen sodalitatibus, quae literarum
 causa passim per Italiam fuerunt constitutae, quas enume-
 rant Vockerodius, (o) Iarckius, vel potius Cel. Gottlieb
 Krausius, Historiarum in Academia Wittebergensi Pro-
 fessor, (p) I. A. Fabricius, (q) & alii. Neque vero
 Regiae scholae statim eo sunt appellatae nomine, etsi *Gy-*
mnasia subinde nominentur. Melanchthon, communis
 ille Germaniae doctor, & Graecarum literarum peritis-
 simus, primus illud vsurpasse videtur, postquam Witte-
 bergae a. MD IX. Graecarum literarum lector primus
 fuit receptus. (r) Certe vtitur ea appellandi ratione in de-
 clamatione, quae eodem anno ab ipso habita fuit, &
 post id temporis frequenter, dum alibi gymnasii vte-
 rentur titulo. (s) Haec praefari libuit, cum bonae men-
 tis quidam alumani & discendi cupiditatis & industriae
 specimen edituri ad declamandum publice prodire pro-
 positum atque constitutum haberent. Ita vero opera inter
 eos est distributa

FRIDE-

- n) Platina l. c. p. 787. o) comm. de erudd. societatibus P. l. c. 2. §. 7. f. p) *Specimen Historiae academiarum eruditae Italiae*, Lips. 1725. Act. Erudd. a. 1730. p. 139. q) Fabricius *Biblioth. antiquar.* p. 604. *Conspect. Theaur. Ital.* p. 246. f. *Prefat. Morhofii Polyhist. praemissa.* x) *Succus* l. c. ad h. a. s) *To I. declam.* p. 504. 507. 708.

FRIDERICVS GOTTLOB SCHIELE, Wieha Thü-
ringus, *de librorum ad parandum doctrinam subsidio neces-
sario,*

IVSTVS GOTTFRIED MASCHKLAPPE, Quedlin-
burgensis, *de autodidactis,*

ADAMVS CHRISTIANVS SCHNEIDEWIND, Ar-
tera-Mansfeldensis, *de conuersatione seu familiari colloquio
cum eruditis,*

SYLVESTER WILHELMVS HENRICVS HVCH,
Schwanebekka-Halberstadiensis, *de Bibliothecis,*

Latino quisque sermone soluto sunt dicturi. Tandem

IOANNES HENRICVS ECKHARD, Quedlin-
burgensis, postquam *de studio declamandi* quaedam dixit,
Auditoribus pro humanissima praesentia nauataque bene-
uole audiendi opera gratias decenter aget. Actui huic
literario destinata dies est XXV. Septembris ab hora
prima post meridiem, cui vt omnis ordinis viri, quibus
cum Musis commercium est, pro humanitate sua inter-
esse dignentur, nouoque documento suam erga literas
beneuolentiam testatam faciant, maiorem in modum ro-
gamus atque contendimus. P. P. Quedlinburgi,
d. XXIV, Septembris, cio dcc xxxii.







PICA



DE
NOMINIBVS SCHOLA-
RVM LATINIS
BREVITER DISSEREBAT,

CVM AD
DECLAMATIONES OVASDAM

D. XXV. SEPTEM
AB HORA I. PO

IN
AUDITORIO
HABEN

PATRONOS ATQ
LITERARVM REVE
NITE

INVITA
M. TOBIAS E
ILL. QU

BLANCO
LITERIS ST

